



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Ab||roganda Missa || Privata Marti-||ni Lvtheri ||
Senten-||tia**

Luther, Martin

Wittembergae, 1522

VD16 L 3619

Secvndo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-33296

ipse non fecit. Quod si qua ratione etiã liceret, per impossibile, adhuc non est integrũ neq; tutũ Christiano, ab exemplo Christi discedere, & aliquid sine exemplo eius innouare, præsertim in re tanta. Vt quid em̃ nos ille suo & exemplo & uerbo docet & præit, si licet aliud tentare, sine uerbo & exemplo eius? Cur uenit in hunc mūdum, si non satis est eum sequi in iis quæ nobis ostendit? Aliud est sane, quod cerimoniais & uestibus additis aliter nunc tractatur, quã a Christo tractabatur. In iis enim hoc solum noxiũ & damnandũ est, si necessario ad rem pertinere credant & conscientias uehent, cũ sint libera omnia, quæ in Christi institutione non inueniuntur, quæ libertas facit ut innoxia sint. At sacrificiũ ex eo facere, hoc nõ est aliquod externũ addere, sed substantiã ipsam sacramenti & totũ quod est a Christo institutũ, mutare. Hoc non modo sine exemplo, sed & contra rẽ ipsam & exemplũ est. Nec libertas hoc malũ potest innoxium facere, sed damnandũ & detestabile est ut summa idolatria & blasphemia.

SECUNDO.

Verba missæ sunt uerba pmissionis, non igit̃ sacrificiũ Missa est,

Euidens est, uerba instituentis Christi, uerba pmissionis esse. Sic enim dicit, Hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur. Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine, qui pro uobis effundetur. Neq; etiam lupanar ipsum Parrhisiense, omniũ infalsissimum & stupidissimum, tam stupidum esse potest, quin agnoscat hæc esse pmissionis uerba, inuolentia pignus eiusdem pmissionis, quod est corpus & sanguis Christi in pane & uino. Promittitur traditio corporis & effusio sanguinis in remissionem peccatorum, quæ est res noui testamenti, ut uidebimus. Ad pmissionem autẽ requiritur fides accipientium pmissionem & pignus pmissionis. Sine controuersia enim pmissio & fides sunt correlatiua, ut ubi pmissio non fuerit, fides esse non possit, Et ubi fides non fuerit, pmissio nihil sit. Atq; ut pmissio gratuita uenit absq; ullis meritis seu operibus donata, alioqui non pmissio sed merces & retributio esset, ita suscipitur sola fide sine operibus, alioqui opera mererent eam. Ideo pmissioni satis fit fide, & fidei satis fit pmissione. Semper enim opera euacuant pmissionẽ, & rursus pmissio eua-

cuat opera. Omnia ergo hæc uerba, promissionem diuinam
fidem humanã spectant, nec ullus apex hic ponitur, qui sacrifi-
ciũ aut hostiam indicet, neq; sane poni potest. Quid. n. sacrifi-
cio cũ negotio promissionis & fidei? Neq; n. ortus tantũ distat
ab occidente, quantũ sacrificiũ a promissione. Sacrificiũ opus
nostrum est, ex nostris rebus exhibitũ deo. At promissio, diui-
nũ uerbum est, de dei rebus, exhibitũ hominibus, ut plane insa-
nia nedam error sit, ex promissione dei sacrificiũ humanum, ex
uero maiestatis, opus creaturæ, facere. Quæ enim proportio,
nedũ identitas uerbi dei & operis nostri? cũ nec nostrum uerbũ
esse opus nostrum possit. Christus autẽ mandans hoc a nobis
fieri in sui memoriã, plãne aliud non uult, quã promissionem
istam cũ pignore suo frequentari, ad alendã & roborandã fidẽ,
quæ nunquã satis potest roborari. In cuius solius robur & hoc sa-
cramentũ instituit & reliquit in terris. Iterata. n. & assidue memo-
rata dei promissione, tam dulci & opulenta, animus saginatur
fide magis ac magis. Vides ergo incredibilem cæcitatẽ & puer-
sitatẽ papistarũ, qui ex promissione dei faciunt opus hominũ,
hoc ipso testes sibi ipsis facti, quã prorsus nihil intelligant, quid
sit sacramentũ altaris, nec quid agat & intendat eiusdem insti-
tutor Christus. Illi offerunt opus, hic requirit fidem, illi sacrifi-
cant deo, hic promittit hominibus. Finge & pinge absurditatẽ
hinc aliquã similem si potes. Si princeps quispiã te donaret co-
dice aliquo testamenti, quo tibi promitteret uelut pignore certo
hereditatẽ suã totam, nihil aliud spectans quã suã bonitatẽ &
tuã paupertatem, nec aliud ex te quærens, quã ut codicẽ accep-
tes gratisq; custodias, gaudeas & diligas se benefactorẽ tuum.
Tu uero uelut magnũ facturus, eũ ipsum codicẽ nõ acceptes, nisi
ut ei exhibeas & offeras, nõ tuũ comodũ sed illius diuitias auctu-
rus, ut tu potius glorieris, qui dederis, & ille pudeat, qui a te
mendico accepit. Nõne hic iudicaberis, aut extrema dementia
insanire, & nihil intelligere eorũ quæ sũt, aut si intelligeres, sum-
ma neqtia & superbia principẽ irridere & illuderet. Talis est ab sq;
dubio facies & religio absurdissimi huius uulgi papistici erga ma-
iestatẽ diuinã, dũ missam sacrificat, & promissione dei, deũ diui-
tẽ faciũt. O monstra monstrorũ.

Vfus Missæ.

Apta similitu-
do.

E ii.